480:b

Salue uir clarissime. Cum parens tabellionem ad uos transiturus esset, intermit-
tere non potui, quin et de rebus meis pauca tibi scriberem, et a te promissa
audacter exposcerem. Scire ergo licet, nondum Altorfij me uiuere, sed breui,
et altera quidem, ut opinor, hebdomada uicturus. Quare a te peto pro eo amore,
quo me adhuc es prosecutus, ut commendatorijs literis apud DDD Taurellum, Scher-
bium & Glarianum prodesse mihi ne deneges, et modis me multis uiris illis
commendes; de cista quoque mea, Noribergam ne uecta sit, pauca mihi scribas.
Dn. Lupichius noster grauiter decumbit, ut uix ulla sanitatis spes supersit.
Episcopus quoque Salisburgensis copias 14 signorum conscribit in Croatiam contra
Turcum mittendas. Noui praeterea nihil scio. Dn. Quentenum meo nomine ut
salutes oro, et roges ne moram in exsoluendo ferat moleste. Nec opus erit
ut de 12 illis taleronibus ad patrem quid perscribatur: siquidem ipse ego per
proximum nuncium eosdem illi mittam, id quod fieri iam plane non potuit.
Calamitas quaedam priuata grauis facit ut et confuse et scribam ineleganterque.
Quod facies rectius si scriptioni imperitae ignoscas et me tibi carissimum
semper esse sinas. Vale uir doctissime et humanissime Doctor, uxoremque
ex me tuam saluta. Dat. Neoforo 3. Janu. anno 94.

T. studiosiss.

Gasper Schopp. Filius.

Clariſsimo et doctiſsimo viro Dnō Theophilo
Madero Medicinæ Doctori et physices in
Academia Haidelbergensi profeſsori eminen-
tiſsimo, fautori suo obſervando

Haidelberg